Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1805
Quelle:
Copyright:

am tamen ſuam ſuper homines amplius extendit. &c. Cap. II. praemittitur is dicendorum Ordo: *Primo conſiderandum eſt quid ſit penitentia. Secundo quid ſit peccatum et quot ſint eius ſpecies. Tertio que ſint peccata et quot pro quibus iniungenda eſt penitentia. Quarto quis et qualis debeat eſſe qui penitentiam debet iniungere. Quinto quis quibus et pro quibus poſſit et debeat penitentiam iniungere. Sexto quomodo ſacerdos debeat ſe habere in audiendo confeſſiones &c. Septimo et ultimo que penitentia et ſatisfactio cui peccato ſit imponenda.* Haec prolixius deſcripſi, ut inde fortaſſe Lectorum quiſpiam in Autoris notitiam ducatur, quem ego in tanto *Summarum* et *Confeſſionalium* numero non diſpicio. Religioſi illum Ordinis haud fuiſſe, ſuadet illud, quod de Religioſis, tanquam de alio hominum genere, paſſim loquitur. Ita narrat *fol.* 44. b. *Cap.* CXIII. *In quodam cenobio infirmus erat monachus, et in tanto calore erat, quod uidebatur ei, quod ſuffocaretur, niſi cuculla deponeretur. Prior autem nullo modo ſuſtinuit, quod ſine habitu iaceret, Dixit quidam medicus, qui preſens erat: Iſte ſuffocabitur, niſi cuculla ab eo ad tempus auferatur; nec iterum prior permiſit, et ita ſuffocatus mortuus eſt ille. Vnde uirquidam bonus et prudens dixit priori: Nonne fratres ueſtri quandoque balneantur et tunc ueſtes deponunt? Quare non ſimiliter, cum monachus eſt in lecto et fetore ſudoris, ſua ueſtimenta poteſt deponere? Et non potuit prior ad hoc reſpondere. Credimus igitur*, concludit, *quod monachus obedientiam non ſoluit, ſi habitum ſuum in tanta neceſſitate deponit.* Quid uero, ſi absque neceſſitate? — *Fol. ult.* adpictum eſt Schema ordinandi Anni eccleſiaſtici, e quo liquet, Codicem non multo poſt an. MCCCXIII. ſcriptum fuiſſe. Adjectae voces: *Requiem eternam* impoſitis notis muſicis, et vernacule minio ſuſcriptum: *Ruer dich held!*

DCCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 187. f. multis vocum compendiis exaratus, rubroque diſtinctus praeligatam habet *foll.* 2. Εισαγωγην quandam in *Pſalterium Davidis* antecedente hujus Pictura lineari, et ſequente felicius expreſſa Facie τȣ Σωτηρος. Ejus initium: *In ſecularium librorum ſcientia conſiderari ſolet, cui potiſſimum phyloſophie ſpeciei quisque liber ſubponatur Phiſice ſcilicet, an Ethice, an Loyce. ſimiliter et in diuina pagina* &c. Poſtea vero: *Incipit. paſtorale. nouellum. Růdolfi.* Eſt illud tributum in *Libros* VI. quorum I. agit de Baptiſmo, II. de Euchariſtia, III. de Poenitentia, IV. de Peccatis, V. de Sacramento Ordinis, VI. de Matrimonio, et quidem carmine, ut hic ingreſſus docet: R. 2089